

GEORGIVS ABBAS IN EBERSHEIM MINSTER.



Georgius in Prussia natus est Anno circiter 1452. Is cum literarū fundamenta in patria egregie iecisset, superiorem Germaniam inuisit, & ad Rheni prouinciam peruenit. eo loco cum plurimum delectaretur, in monasterium Yueyssenburgense se contulit, atq; ibidem Cellarius cōstitutus fuit. erat enim magna industria præditus. Itaq; res sibi commissas fideliter peregit, & alios e quales in omni genere literarum instituit. Id cum passim innotuisset, anno 1511 in monasterio Etticonis (quod & Ebersheimmünster dicitur) abbas electus fuit. In eo loco Georgius singulari prudentia omnia restituit, atq; in rusticorum tumultu 1525 suum monasterium præter expectationem cōseruauit, æs quoq; alienum soluit, & omnia edificijs nouis decorauit. Ut etiam ius suum tueretur, cum finitimis Episcopis plurimas contentiones habuit, & tandem id quod uoluit impetrauit. Hinc factum ut Georgius ob plurimas corporis & animi uirtutes post Etticonē pro altero quasi fundatore habeatur. Cum hoc modo eruditione & prudētiam multis innotuisset, & corpore adhuc uegeto esset, 4 idus Iunij anno 1540 iam quasi nonagenarius moritur, & in suo monasterio honorifice sepelitur, cum tali epitaphio, quod præsens 1565 uidi & descripsi.

Prussia me genuit, Rhenenses post tenuere.

Nunc tumulo claudor, sit requies animæ. Anon.